

pauciores, pro diversitate partium nutriendarum. Ut enim flavum fiat rubrum, & contrà rubrum flavum: unica & simplex fortè satis est alteratio. At, ut album fiat nigrum, & contrà opus est alterationib. intermediis plurimis v. g. Ex pane, qui albus est, ut fiat sanguis, qui ruber est: profectò non sufficit una alteratio, sed oportet paulatim & per vices deponat alborem, eodemque modo acquirat ruborem. Rursus, Ex sanguine, qui rubor est, ut fiat os, quod album est: profectò non est satis semel alterari sanguinem, leviterque, sed multoties & per intimam substantiam, donec & dealbetur satis & incrassetur. Quatnōbrem opus habuit animal instrumentis plurimis, quorum singula præstarent alterationes singulas, quæque semper mutuò se exciperent, donec ex cibo dissimilimo fiat alimentum quam similem. Nullum enim perfectum & magnum opus repente fit, & una aggressione, totamque suam expolitionem ab uno instrumento accipere potest, inquit idem Gal. 6. Sent. Hipp. & Plat. 6. Quivis autem intelligit, tanto majorem instrumentorum copiam requiri, quanto animal ipsum perfectius est, ut jam ante dixi.

Diversa. Cum enim alimentum, per os assumptum sápè unā cum partibus verè alimentariis, multas habeat partes à naturā partium nutritio-